

nium nuncupentur. Seculares autem viros ad ministerium non allumas Ecclesiæ, sic enim legis: Manus temere nemini imponeris. Et iterum: Hi primùm comprobentur, & sic ministrent sine crimine constituti. Sunt enim multi qui sequentes vota populorum, disciplinam Ecclesiæ non observant, ac sine experimento bonæ vitæ, eligunt non convertos. Atque ut consuetudinem reprehendam: peccantes nobilitatem potius, quam mores optimos benedicunt: & ante regni cælestis gubernacula tradunt, quam de terrena conversatione securi sint, quasi vero Deo deficiant sacerdotes, aut clericatus officium possit implere, qui necdum castus didicit esse abstinendo. Taceo de reliquis vitæ documentis, quod ignorat libros, quod consuetudinem nescit: & prius doctor gentium dicitur vel minister, quam discat aliquid imperitus, alieno iudicio imposterum vivens, non Dei, sed cuiuscumque facit in omnibus voluntatem. Dum enim instruenti se obedientiam debet, cedit ad tempus & invitus discipuli nomen accipit in magistro, minorque fit minimo. Concurrent ad Ecclesiam populi, à sacerdote novo aliquid audituri quod ædificet cunctos, quod salvet universos, & ultra solitum morem forte nihil dicitur, ceras necit, paginas ignotas cunctis versat in pectore, & delicta omnia recognoscens, sola impudentia utitur excusantis, & hoc ipsum quod rogatur irascitur. Quale tunc erit quæso Episcopo iudicium tuum cum interrogatus nihil dixeris: ac mulieres laicosque pro scientia agnitionis vitæ, intrare Ecclesiam recognoveris? Sacramentorum verò hæc ratio est, atque hic ordo omnium nascentium, qui in carne descendimus: ut qui venientes in mundum vendamur sub peccato, idolis servientes primitus nuncupemur. Quis enim à quo superatur, ejus servus addicitur: & ejus operi mancipatur, præstat officium, cuius desiderium gestat in sensu: prævalente enim ignorantia, regnat avaritia, quæ radix omnium malorum est, & inquisitio idolorum: & hoc est malum quod difficile superatur, qui non aut habendi voluntate, aut paupertatis timore teneatur. Sed quia primitus in exhortatione Prophetiæ sermo prædicandus est, necesse est, ut in illis unus Deus avidius & loquatur & nominetur, secundum quod scriptum est: Dominus Deus tuus unus est. Hi sunt quos catechumenos nominamus, & subjacentes castigationi, & liberum ad Christum habentes arbitrium: quia principium sanctitatis est Dominum Jesum Christum Dei filium confiteri, secundum quod scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Secundus consentientium locus est, qui ad Dei gratiam festinantes, aliquid amplius quam fuerint esse desiderant. Qui ideo competentes dicuntur, id est, poscentes Dei gratiam, Deo jam utiles & per desiderium voluntatum competentes cælorum regna, ac volentes juri suo per misericordiam principalem hereditatem Deum vindicare: ab omnibus abstinentes, sperantes lavacrum, casti atque sinceri, & præsentis vitæ positum sibi terminum recognoscunt, & ordinem futuræ conversationis aspiciunt: ut qui antequam accipiant, serviunt Christo, post acceptam fidem Dei dona non perdant, aut irritam faciant gratiam, cui servire voluerunt. Tertius baptizatorum ordo est, in quibus jam Christus est, dicente Apostolo: Nescitis quoniam quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis? Et ideo cum cogitamus aliquid boni liberati à gentilitate catechumeni sumus: cum volumus quod sanctum est, competentes: cum operamur bona, baptizamur & commotimur Christo. Sed si fortè hoc impugnante diabolo quacumque peccati maculatione violamur, penitentia competit: quæ in similitudinem divini fontis, ipsa peccata mortificet, ac nos salvet in corpore. Qua completa quartus reconciliationis locus est, ut caput corporis nostri Christum esse credamus, quia Ecclesiæ suæ vir, caput mulieris: id est, omnium animarum quæ Deum tota mente perquirunt. Sal autem propterea catechumenis datur in mysterio: ut nos esse sal terræ, id est, sapientiam Dei noscamus. Invisibilia enim ejus, ut ait Apostolus, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles, & cætera. Baptismus verò aqua est, quæ tempore passionis de latere Christi exivit: & nullum aliud elementum est, quod in hoc mundo purificet universa, quod omnium poculum sit, quod vivificet cuncta. Et ideo spiritus vitæ in aqua est, & congregatio aquarum, maria nomen accepit. Christo enim renascitur, qui baptizatur in fonte, fons enim origo omnium gratiarum est. In quo septem gradus sunt, tres in descensu, & tres in

ascensu: septimus vero est, qui & quartus, id est similis filio hominis, extinguens fornacem ignis ardentis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ: in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Oleum vero & chrysa esse sanctorum, silentium ipsius & pinguedinis natura demonstrat. Corpus Domini panis verus & cælestis è cælo est. Sanguis ejus, hoc est quod scriptum est: Ego sum vitis vera, vos autem sarmenta. Et quia multa membra, unum autem corpus, totius mundi natura contrita est invisibilibus speciebus in candorem lucis effectum, atque per baptismum aquæ in veritate: cum semper secundum speciem corporis, & puritas & veritas voluntatis apparet probata per ignem, ut his omnibus implementis alimentis, nihil desit visibilitati, nihil desit mysterio Dei, ac resurrectione carnis apertissime comprobetur: cum hæc quæ visibilia sunt, sanctificata per verbum & orationem, Christi corpus effecta sunt. Quæ omnia, si in veritate complecteris intelligens Deum, opus vitæ agis & commoraris in Christo. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Te decet hymnus Deus in Sion, ut reddas vota in Jerusalem. Tibi convivium Christus est: gaudium Christus est, cogitatio Christus est, desiderium Christus est, lectio Christus est, quies Christus est, atque imperans mundo Pharaonis Deus es, postquam universa viciisti. Hæc cunctis plebibus tuis, si dignaris ut moneam, prout potes semper insinua, memoriam mei habens in orationibus tuis sanctis, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, ut remissionem consequar peccatorum. Certus sum enim ego, quia supra quam dico facies: debitorem enim te mihi esse cognoscis, ut pro me Deum rogare non desinas, quoniam sicut jubere dignatus es, officium disputationis impendi. Nec tibi legem quam sequi debeas posui, sed qualis esse jam debeas, stylo favente descripsi. Unum tamen illud præ cæteris rogo, ut quia multa secundum consuetudinem tuam, nova tibi videntur esse conscripta, præsumptioni meæ dare veniam digneris. Nec putes nos perveritatem aut novitatem aliquam, sed solum, si dici fas est, diversarum provinciarum consuetudinem publicare: sed sicut reprehendi neminem, ita & damnandum nullum descripsi: præsertim cum omnes Ecclesias Deus fecerit: & in omnibus Apostoli prædicaverint; nec deceat quemquam studere discordiæ, ubi pro omnium pace servanda, in disceptatione Ecclesiastica disciplinæ vincit ille qui vincitur, ac se victum gratulatur. Ego tamen in omnibus vobis cedo, qui omne quod facitis laudo, & in emulationem bonæ rei istud vestris sensibus derelinquo, ut unus alterum exhortans, invicem vos de consuetudine nostra & de contemplatione doceat: mihi hoc solum peculiariter relaxetis, ut pro me orare dignemini: qui ad emendationem omnium quæ conscripta sunt obedientiam gerens, ita libenter habeo mihi aliquid imputare, ut mei primitus sciatis esse iudicii: hoc tantum iussi ab omnibus condemnandum, quod aut consuetudo Ecclesiarum, aut divinatorum librorum scripta non retinetur.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Hanc non esse Hieronymi, deprehensum est & ab aliis. Et enim in editione Romana fuit ascriptum, dicitur, sed non est beati Hieronymi. In quibusdam exemplaribus habebatur hic titulus, ad Mauritium filiam, in aliis ad Maurici filiam, in aliis nullius nomen erat ascriptum. Quorum si nihil esset, stylus diversissimus satis erat argumenti, ex officina Hieronymiana non fuisse profectam, imo parum absuit quin hanc in extremam classem rejicerem.

VIRGINITATIS LAUS.

QUANTAM in cælestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, post scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur: qua discimus peculiare illi subsistere meritum, cuius specialis est consecratio. Nam cum universa turba credentium paria dona gratiæ percipiat, & illdem omnes sacramentorum benedictionibus glorietur, ista aliquid proprium præ cæteris habent: cum de illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege, quasi sanctiores purioresque hostiæ, pro voluntatis suæ meritis à sancto Spiritu eliguntur, & per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hostia tam preciosa animalis oblatio, & nullius magis, quam suæ imaginis, hostia placitura. De hujusmodi

etiam Apostolum dixisse reor: Obsecro autem vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Possidet ergo virginitas, & quod alii habent, & quod alii non habent: dum & communem & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere, Ecclesiastica nobis permittit auctoritas: dum in sponzarum modum eas consecrat Domino: velut ostendens eas vel maxime habituras spirituale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium, & dignè Deo per matrimonii copulationem spiritualiter copulantur, quæ ejus causa dilectionis, humana connubia spreverunt. In his quam maxime illud impletur Apostoli: Qui autem adheret Domino, unus spiritus est. Grande est & immortale, & pene ultra naturam corpoream, frenare luxuriam, & concupiscentiam flammam adolescentiæ facibus astuantem, animi virtute restringere, & spirituali conatu, vim genitæ oblectationis excludere, vivereque contra humani generis legem, despiciere conjugii solatia, dulcedinem contemnere liberorum, & quæcumque præsentis vitæ commoda sunt, pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, ut dixi, & admirabilis virtus est: & non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinatur: Dabo, inquit Dominus, spadonibus meis in domo mea, & in muro meo locum nominatum meliorem à filiis & filiabus Israel: nomen æternum dabo illis, quod non deficiet. De quibus spadonibus Dominus in Evangelio repetit, dicens: Sunt enim spadones qui seipfos caltraverunt propter regnum cælorum. Magnus quidem est pudicitie labor, sed majus præmium: temporalis custodia, sed remuneratio æterna est. De his & beatus Joannes Apostolus loquitur: quod sequuntur agnam quocumque erit. Quod ita intelligendum puto, nullum eis locum in cælesti aula claudendum, & cuncta eis divinarum mansionum habitacula referenda. Sed ut illustrius virginitatis meritum clareat, & quam Deo digna sit, manifestius intelligi possit: illud cogitetur, quod Dominus & Salvator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit uterum. Et ut hujusmodi plurimum sibi placere monstraret, & pudicitie bonum utique sexui intimaretur, virginem habuit matrem, virgo mansurus, in se viris, & in matre feminis præbuit virginitatis exemplum: quod demonstraretur in utroque sexu beatam integritatem divinitatis haberi, & plenitudinem meruit se, dum totum in matre fuit, quicquid habebatur in filio. Sed quid ego fatago excellens ac sublimè pudicitie meritum revelare, & gloriose virginitatis bonum ostendere, cum de hac re perloquor peroralle non nesciam: & ejus beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse: & nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem majoris esse meriti, quæ sit amplioris laboris? Quisquis enim pudicitiam, aut nullius præmii, aut parvi existimat: certum est illum, aut ignorare, aut non voluntarium ferre laborem. Inde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent, aut habere coguntur inviti. Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem, quam meritum integritatis ostendimus, ne res quæ grandi virtute constat, ingenti præmio destinata, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quanto enim quæcumque species preciosior fuerit, tanto majore sollicitudine custoditur. Et quoniam multa sunt, quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio: ut est mellis species, nisi cerarum custodia & favorum cellulis conservetur, & ut verius dixerim, nutriatur, naturalem gratiam perdit, & subsistere per se ipsam non potest. Sicut vini species quod nisi boni odoris vas sit, & reparatis crebro picibus foveatur, genitæ suavitate vim amittit. Attentius ergo providendum est, ne fortè & virginitati aliqua sint necessaria, sine quibus nequaquam afferre fructum sufficiat, & tantus nihil proderit labor: dum vanè prodesse creditur, quod absque viribus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob cælestis regni præmium, pudicitia servatur integritas, quod sine vitæ æternæ merito, neminem consequi posse satis certum est. Æterna verò vita, non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri potest, scriptura dicente: Si vis ad vitam venire, serva mandata. Vitam ergo æternam non habet, nisi qui cuncta mandata legis servaverit, & qui vitam non habuerit, cælestis regni non potest esse possessor. In quo non mortui, sed vivi quique regnabunt. Nihil enim virginitas sola proficiet, quæ cælestis regni gloriam sperat, nisi & aliud habuerit,

cui promittatur perpetua vita, per quam cælestis regni præmium possideretur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque servantibus: & ejus remunerationem à Dei equitate sperantibus, mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriose castitatis & continentie labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem, sapiens ex lege nullus ignorat, Apostolo dicente: De virginitate autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Cum ergo obtinenda virginitatis consilium dat, non præceptum statuit, supra mandatum vel præceptum eam esse professus est. Quicumque ergo virginitatem servant, magis faciunt quam præceptum sit. Tunc enim proderit magis fecisse quam justum est, si quod justum est, feceris. Nam quomodo plus fecisse gloriaberis, si minus aliquid non facias? Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum. Volens virginitatis præmium consequi, amplectere meritum vitæ, ut tua castitas remunerari possit. Nam ut vitam præstat observatio mandatorum, ita è contrario generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit, neque pudicitie præmium expectare constitutus in pena. Tres enim sunt species, per quas regni cælestis possessio introitur. Prima est pudicitia: secunda mundi contemptus: tertia vero justitia. Quæ ut connexæ plurimum se possidentibus præstant, ita possunt divise difficile prodesse: dum unaquæque earum non propter se tantum, sed propter aliam efflagitur. In primis igitur quaritur pudicitia, ut facilius subsequatur mundi contemptus: quia ab illis mundus contemni levius potest, qui matrimonii nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus expoficitur, ut justitia conservetur: quam difficile implere possunt, qui sæcularium bonorum cupiditatibus, & mundanarum voluptatum negotiis implicentur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitie: & secundam quæ est mundi contemptus, non obtinet: pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæstæ est prima. Si primam & secundam habet, cui tertia quæ est justitia desit, frustra laborat: quoniam superiores duæ propter tertiam præcipue requiruntur. Quid enim propter mundi contemptum prodest pudicitiam habere, & propter quod eam habeas non habere? Vel cur res mundi contemnas, si justitiam propter quam pudicitiam & mundi contemptum habere te convenit, non custodias? Quia ut prima species propter secundam est, ita prima & secunda propter tertiam: quæ si non fuerit, nec prima, nec secunda proficiet. Dicat forsitan, doce me ergo quid sit justitia, ut eam si cognoverim facilius implere sufficiam. Dicam breviter, ut valco, & verborum utar simplicitate communium: quia causa de qua agimus talis est, quæ disertioribus facundie sermonibus nequaquam debeat obcurari, sed simplicioribus eloquentiæ narrationibus pandi. Omnibus enim in commune necessaria, communibus debent sermone demonstrari. Justitia ergo non est aliud, quam non peccare. Non peccare autem legis præcepta servare. Præceptorum vero observatio duplici genere custoditur: ut nihil eorum quæ prohibentur facias, & cuncta quæ jubentur implere contendas. Hoc est quod dicit: Recede a malo & fac bonum. Non enim in hoc putes constare justitiam, ut malum non facias, cum & bonum non facere malum sit, & in utroque legis prævaricatio committitur. Quoniam qui dicit: Recede a malo: & ipse dicit, fac bonum. Si a malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es legis: quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, ut vestitum non spolis suis indumentis: sed ut spoliatos operias tuis vestimentis. Neque ut habenti panem non auferas suum, sed ut non habenti tuum libenter impertias. Neque ut pauperem non repellas hospitio suo, sed ut pulsum & non habentem recipias tuo. Præceptum est enim nobis flere cum flentibus. Quomodo cum illis flentis, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquid eis in his propter quas lachrymantur causas præbeamus auxilium? Neque enim stertum nostrorum Deus instructuosum humorem querit: sed quia lachrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire ut tuas: & quomodo tibi in tali tribulatione si esses, subveniri cuperes, nisi alteri ipse subvenias propter illud. Quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis similiter. Nam cum flente flere, & nihil, cum possis, flenti conferre, subsanationis non pietatis iudicium est. Denique Salvator noster

cum Maria & Martha Lazari fororibus fleuit, & immensa misericordiae affectum, lachrymarum contellatione monstravit: & verae pietatis indicia, mox opera subsequuta sunt: cum suscitatus Lazarus, cuius causa lachrymae fundebantur, fororibus vivus redditur. Et hoc fuit pie flere cum flentibus, occasione stetus auferre. Sed quasi potens, inquit, fecit: sed nec tibi aliquid impossibile imperatur. Implevit omnia, qui quod potuit fecit. Sed ut dicere ceperamus, non sufficit Christiano à malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecit. Quod illo vel maxime testimonio comprobatur, quo comminatur Dominus aeterni ignis reos fore, qui quamvis nihil mali gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens: Tunc dicit rex his qui ad sinistram sunt: Discedite à me maledicti in ignem aeternum, quem praeparavit pater meus diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, & cetera. Non dicit: Discedite à me maledicti, quia homicidium fecistis, quia adulterium perpetrastis, aut quia furtum fecistis: non enim quia malum fecerunt, sed quia bona non fecerunt, condemnantur, & aeternae gehennae incendiis adduntur. Nec quia quae prohibita erant, admiserunt: sed quia quae praecipua erant, noluerunt implere. Unde advertendum est quam spem habere possint, qui adhuc aliquid eorum faciunt quae prohibentur: cum etiam illi aeterni ignis rei sunt, qui non fecerunt quae jubentur. Nolo enim in hoc tibi blandiaris, si aliqua non feceris, cum scriptum sit: Qui universam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Adam enim semel peccavit, & mortuus est: & tu te vivere posse existimas, illud saepe committens, quod alium cum semel perpetrasset, occidit: An grande illum commisisse crimen putas: unde merito pena damnatus sit acriori? Videamus ergo quid fecerit contra mandatum: de fructu arboris edit. Quid ergo? propter arboris fructum Deus hominem morte multavit? Non propter arboris fructum, sed propter mandati contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati, sed transgressione mandati. Et qui dixit Adae, ut de fructu arboris non ederet: ipse tibi praecipit, ut non maledicas, non mentiaris, nec detrahas, nec detraherentes auferas, ut omnino non jures, non concupiscas, non invidias, non sis tepidus, non sis avarus: ut nulli malum pro malo reddas: ut inimicos tuos diligas: ut pro maledicentibus & persecutoribus ores: ut percipienti maxillam alteram praebes: ut in iudicio saeculari non litiges: ut si quis tua voluerit auferre, grateanter dimittas: ut nec iracundia, nec zeli, nec livoris malum intra pectus admittas: ut crimen avaritiae fugias, ut omnis avaritiae ac superbiae malum caveas, ut humilis & mitis Christi exemplo vivas: malorum consortia intantum devitans, ut cum fornicatoribus atque avaris, aut maledicentibus, aut invidis, aut obreptatoribus, aut ebriosis, aut rapacibus cibum non capias. Quem si in aliquo contempseris, si pepercit Adae, parcat & tibi. Imo illi magis parcendum fuerat, qui novellus erat adhuc & rudis, & nullius ante peccantis & propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero post tanta documenta, post legem, post Prophetas, post Evangelia, post Apostolos, si delinquere volueris: quomodo indulgeri possit, ignoro. An tibi de virginitatis praerogativa blandiris? Memento Adam & Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quae peccat, Eva, non Mariae comparanda est. Non negamus in praesenti tempore remedium poenitentiae: sed hortamur magis premium sperare debere, quam veniam. Turpe est enim illis delicti indulgentiam postulare, quae palmam virginitatis expectant: & illicitum aliquid incurere, quae se etiam à licitis castraverunt. Licet quippe esse matrimonii consortium inire: & ut laudanda sunt, quae propter Christi amorem & caelestis regni gloriam, copulam contempserunt nuptiarum, ita damnanda non sunt, quae propter incontinentiae voluptatem, nondum Deo devotae, remedio Apostolico abutuntur. Ergo, ut diximus, quae connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt: ejusmodi autem, si jurent, si maledicant, si cupiunt aliena, si detrahentes patiuntur audire, si malum pro malo reddant, si avaritiae in alienis aut propriis incurant crimen, si zeli, si livoris venena possideant: si contra legalia & apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur, aut cogitent: si in carne placendi studio, compe & ornatu procedant, & alia quaecumque, ut solet fieri, illicitè faciant: quid proderit eis sprevisse quod licuit, & exercere quod non licet: Si vis prodessè tibi quod

licita contempseris, vide ne quid eorum quae non licent facias. Stultum est enim timuisse quod minus est, & non timere quod majus est: aut ab his non vitari quae prohibentur, si subterfugerint quae conceduntur. Dicit Apostolus: Innupta cogitat quae Dei sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu: quae autem nupta est, cogitat quae sunt hujus mundi, quomodo placeat viro. Nuptam viro placere allerit, cogitando quae mundi sunt: innuptam vero Deo, co quod nulla illi cura sit saeculi. Dicit ergo mihi, quae virum non habet, & tamen quae mundi sunt cogitat, qui placere desiderat: nonne incipiet illi nupta praeponi: quia illa cogitando quae mundi sunt, complacet vel marito: ista vero nec marito, quem non habet potest placere, nec Deo. Sed nec illud silentio praeterire nos convenit, quod dixit, innupta cogitat quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. Quae Dei sunt, inquit, cogitat, non quae saeculi: non quae hominum, sed quae Dei sunt cogitat. Quae sunt ergo Domini, dicit Apostolus. Quaecumque enim sancta, quaecumque iusta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, ista sunt Domini: Quae sanctae & verae & Apostolicae virgines, die noctique sine ullo temporis intervallo meditatur & cogitant. Domini est etiam regnum caelorum, Domini est resurrectio mortuorum, Domini est immortalis incorruptio, Domini est splendor solis, qui sanctis promittitur: sicut in Evangelio scriptum est: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Domini sunt plures iustorum in caelestibus mansiones, Domini est fructus tricesimus, & sexagesimus, & centesimus. Haec cogitant, & quibus possint operibus promereri quae Domini sunt, cogitant. Domini est etiam lex novi & veteris testamenti, in quibus oris ejus eloquia sancta resurgunt. Quae si quae virgines sine intermissione meditantur, quae Domini sunt cogitant, ut impleatur in eis propheticum illud: Fundamenta aeterna supra petram solidam, & mandata Domini in corde mulieris sanctae. Sequitur: Quomodo placeat Deo: Deo inquam, non hominibus: ut sit sancta corpore & spiritu. Non dixit ut sit sancta membrum, aut corpore tantum, sed ut sit sancta corpore & spiritu. Membrum enim a corporis pars est: corpus vero omnium compago est membrorum. Cum ergo dixit, ut sit sancta corpore, omnibus membris eam sanctificari debere testatur: quia non proderit sanctificatio ceterorum membrorum, si inveniatur in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quae vel unius fuerit coinquinatio polluta. Sed ut quod dico, manifestum & lucidius fiat: Esto sit omnium membrorum purgata sanctificatione, & lingua tantummodo peccet, quae aut blasphemet, aut testimonium falsum dicat, nunquid liberabunt omnia membra unum: an propter unum judicabuntur & cetera? Ergo si sine aliorum membrorum sanctificatione pudicitia nihil proderit, cum in uno sit vitium, quanto magis si diversorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, unius nihil proderit integritas? Unde quae virgo, ne in sola tibi pudicitia blandiaris, neque in unius membri integritate confidas: sed secundum Apostolum, totius conserva corporis castitatem. Munda ab omnibus inquinamentis caput: quia crimen est illud post christi sanctificationem, aut cruci, aut alterius cujuslibet pigmenti fucio, vel pulvere fordidiari: aut auro, aut gemmis, vel cujuscumque terrena creaturae specie comi, quod jam caelestis ornatus splendore resurgat. Grandis quippe est divinitati contumelia, mundani & saecularis ornamenta prelatio. Munda frontem, ut humana, non divina opera erubescat, & illam confusionem recipiat, quae non peccatum, sed gratiam Dei parit, scriptura divina dicente: Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens Dei gratiam. Munda collum, ut non aurea reticula capillus portet, & suspensa monilia, sed potius illa ornamenta circumferat, de quibus scriptura dicit: Misericordia & veritas non deficient à te. Suspende autem illas in corde velut in collo tuo. Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, & ab omni intuitu pauperem nunquam avertis, & ab omnibus fucis liberos, ad ea quae Dei sunt facta custodias. Munda linguam à mendacio: quia os quod mentitur, occidit animam. Munda eam à detractione, juramento, ac perjurio. Nolo praeposterum ordinem putare, quod prius à juramento quam à perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium facilius fugies, si in toto jures: ut impleatur in te illa sententia: Cohibe linguam tuam

tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Et memor esto, dicente Apostolo: Benedicite, & nolite maledicere. Sed & illius crebrius recordare: Videte ne quis alicui malum pro malo reddat, neque maledictum pro maledicto. Sed & contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Et illud: Si quis autem in verba non offendit fratrem, hic perfectus est. Nefas est enim ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, alicujus polluantur forde peccati. Nescio qua conscientia & lingua quis Dominum rogat, quae aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Dominus: & ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronunciat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis & veris auditum praebent, ut nunquam obscena, aut turpia saecularia, quae verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam: ut cum eo habere partem possis, de quo dicitur: Quoniam auditu & visu justus erat: hoc est, nec aures, nec oculos delinquebat. Munda manus, ne porrectae ad accipiendum sint, ad dandum autem collectae: nec ad feriendum paratae, sed ad omnia misericordiae & pietatis opera satis promptae. Munda pedes, ne latam & spaciolam viam pergant, quae ducit ad splendida saeculi & preciosa convivia: sed ad arduum magis & angustum gradianter iter, quod tendit ad caelum: quia scriptum est: Iter rectum facite pedibus vestris. Agnosce, tibi à Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutes membra formata. Et cum universos artus mundaveris ab omni forde peccati, & toto fueris mundificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum omni fiducia palmam virginitatis expectes. Quid sit sanctam esse corpore, breviter quidem, sed plane exposuisse me arbitror. Nunc quod sequitur, & spiritu, nosse debemus. Hoc est, ut quod opere nefas est fieri, nec cogitatione concipere. Illa enim est tam sancta corpore quam spiritu, quae nec mente nec corpore delinquit, sciens etiam cordis speculatorem esse Deum. Et idcirco saggit, ut omnino etiam animam cum corpore mundam habeat à peccato, sciens scriptum esse: Omni custodia serva cor tuum. Et iterum: Dilige Dominum sancta corda: accepti sunt autem ei omnes immaculati. Et alibi: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit culpa peccati. De quibus & Joannem in Epistola sua dixisse reor: Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quaecumque petierimus, accipiemus ab eo. Nolo existimes te peccati crimen fugisse, si voluntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit: Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. Nec dicas: cogitavi quidem, sed non feci: quia etiam concupiscere nefas est, quod fieri crimen est. Unde & beatus Petrus praecipit, dicens: Animas vestras castificantes. Qui si nullam animae contumeliam nosset, nec castificari ipsam desiderasset. Sed & illud locum quo continetur: Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt: hi sequuntur agnum quocumque ierit: attentius considerare debemus & animadvertere, si solius integritatis ac pudicitiae merito, isti divino comitatu copulentur, & per omnia caelorum tabernacula discerant: an & alia sint quibus adjuncta virginitas, tanta beatitudinis gloriam consequatur. Sed unde hoc scire poterimus? Ex consequentibus, nisi fallor, in quibus scriptum est: Hi empti sunt ex omnibus primitiis Deo & agno, & in ore ipsorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt. Vides ergo quod non in uno virgines tantum membrorum dominicis referantur inhaerere vestigiis: sed illi qui praeter virginitatem ab omni contagione peccati immaculati gerunt vitam. Idcirco vel maxime virgo nuptias spernit: ut dum securior est, facilius quod etiam à nubentibus quaritur, ab omni se delicto custodiat, & universa legis mandata perficiat. Nam si non nubat & ea nihilominus faciat, à quibus & nuptae esse jubentur immunes, non nupsisse quid proderit? Quanquam enim nulli Christianorum peccare liceat, & omnes quicumque spiritualis lavacri sanctificatione purgantur, immaculatam decurrere conveniam vitam, ut Ecclesiae (quae sine macula, sine ruga, sine aliquo ejusmodi esse describitur) possint visceribus intimari: multo magis tamen hoc virginem implere necesse est, cui nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis causa prohibet, quo minus divinam scripturam perficiat: nec si peccet aliqua

Tem. V.

poterit excusatione defendi. O virgo serva propositum tibi magno praemio destinatum. Praeclara est apud Deum virginitatis & pudicitiae virtus, si non aliis peccatorum & malorum lapsibus infirmetur. Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum. Christi sponsa diceris, vide ne quid indignum ei cui desponsata esse videris, admittas. Cito scribit repudium, si in te videat vel unum adulterium. Quaecumque ergo humanorum sponsaliorum pignorum subarratur, statim à domesticis, à familiaribus, ab amicis, & servulis sponsi sollicitè & diligenter requirit, quales juvenis habeat mores: interrogat quid potissimum diligat, quid accipiat libenter, quo usu vivat, quae se consuetudine regat, quibus utatur dapibus, in quibus maxime rebus delectetur & gaudeat. Quae cum didicerit, ita se in omnibus temperat, ut sponsi moribus suum obsequium, sua dilectio, sua jucunditas, sua vita, sua diligentia concordet. Et tu quoque Christum sponsum habens, à domesticis ac familiaribus ejus, sponsi tui mores interroga: & strenue ac solerter inquire, in quibus praecipue delectetur. Qualem in te compositionem vestrum diligat, cujusmodi concupiscat ornamtu: dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem, sed spiritualem permittit ornamtu: sicut in Epistola sua scripsit: Mulieres similiter subjete sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrescentur, considerantes in timore castam conversationem vestram: quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorumque cultus; sed absconsus cordis est homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Dicit & alius Apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens Epistolam, eadem de fidelium foeminarum disciplina testatur: Mulieres similiter in habitu ornato, cum reverentia & sobrietate, ornantes se, non in tortis crinibus, auro, aut margaritis, aut veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes castitatem per bonam conversationem. Sed forsitan dicas, cur haec idem Apostoli virginitatis non jussent? Quia non necessarium judicabant: ne talis virginitatis commonitio potius injuria, quam emendatio videretur. Sed nec eas unquam tanta temeritatis fore crediderunt, ut ne nuptis quidem concessa carnalia ornamenta & terrena praesumerent. Revera ornare se & componere virgo debet. Nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita & ornata processerit? Ornatur plane, sed interioribus ornamentis, spiritualiter, non corporaliter componatur: quia Dominus non corporis, sed animae decorem in illa desiderat. Ergo & tu quaecumque animam tuam diligi & habitari à Christo concupiscis: omni eam diligentia compone, & spiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea indecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiae, & gemmis resalgeat sanctitatis, ac preciosissima pudicitiae margarita coruscet, & pietatis tunica vestiatur. Pro bysso & serico, castitatis & misericordiae tunica vestiatur & induatur, secundum quod scriptum est: Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, humilitatem, & cetera. Non decorem ceruflae aut alterius pigmenti quarat, sed innocentiae simplicitatisque candorem habeat. Roseum verecundiae colorem, & pudorem ruboris pudorisque possideat, caelestis abluatur nitro doctrinae & lavamentis spiritualibus emundetur. Nulla in ea malitiae, nulla delicti macula relinquatur: & ne quando malo redoleat odore peccati, unguento suavissimo sapientiae & scientiae perfuratur. Hujusmodi Deus quarit ornamentum, & animam taliter compositam concupiscit. Memento te esse filiam, secundum quod ait: Audi filia & vide. Sed & tu ipsa quotiescumque Deum patrem nominas, te Dei filiam esse testaris. Ergo si filia Dei es, vide ne quid eorum facias, quae Deo patri incongrua sunt, sed age omnia quasi filia Dei. Cognosce quomodo hujus saeculi filiae nobilitatem se gerant, quibus alluescant moribus, quibusve se disciplinis insituant. Tanta in quibusdam est verecundia, tanta gravitas, tanta modestia, ut ceterorum hominum ritum intuitu humanae ingenuitatis excedant: & ne quam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiae innotam, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis fecere naturam. Et tu originem tuam respice, genus intue, gloriam nobilitatis adverte: ac non hominis tantum esse, sed Dei filiam, & divinae nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te caelestis nativitas appareat, & ut divina ingenuitas clarescat: sit in te nova gravitas, honestas admiranda

H